



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

id quod certe munus regium est, sed tamen unde agnoscamus sacerdotis illam unicam & semel factam oblationem. Edite enim, inquit, & bibite in mei commemorationem. &c.

CAPVT VII.

Induxerat arcam in Hierusalem, sed indignum iudicabat, ut sine domo maneret siue templo, quæ iam in tētorio tantum habitauit. Sed deus per prophetam respondet se domo nō indigere, id quod & Salomon edificaturus templum agnoscit. 2. Paralip. 2. Si cæli cælorum. &c. & dominus Esa. ult. dicit, Cælum mihi sedes est. &c. quam ueritatem non agnoscebāt hypocritæ, qui postea sperabant in uerbis mendacijs, dicentes, Templum domini &c. Hiere. 7. Hic ergo Dauid accipit promissionem dei de regno æterno, quod erat ex illo regno temporali proditurum, in quod respiciunt omnes prophete, de quo cecinerunt in die palmarum, Benedictum quod uenit regnū patris nostri Dauid.

Vides.] Hoc est humanū argumentum, Ego habito in domo cedrina, & deus in tētorio, deo debetur melior habitatio q̄ homini. Verū istud interim meditabatur primū cor, ego mea quæro, indignū est ut nō potius quærā quæ dei sunt, Mihi edificauī domū

cedrinā &c. sed nostræ cogitationes nihil sunt apud deum sine dei uerbo. Vides itaq; & in Dauide & in Nathan propheta nostras bonas intētiōnes nihil esse, dum non habemus uerbum dei nos præcedens, secundum illud, Lucerna pedibus meis uerbum tuum. &c.

Nunquid. Id est nulli unq̄ ex iudicibus quos suscitauit populo meo ferè ex omnibus tribubus, præcepit ut edificaret mihi domū, sicut neq; præcepit tibi. Vides quod deus nihil uult agi sine uerbo suo in cultu suo. Quod uero postea omnia præparat ad templi ædificium, & instruit omnia ministeria, non sine reuelatione posthac secuta facit. Sic enim ait. 1. Paral. 28. Omnia uenerunt scripta manu domini ad me, ut intelligerem uniuersa opera exemplaris.

Ego tuli. Ista cōmemoratione beneficiorū Dauidis fidem excitat, q. d. Ego ab hominibus nihil accipio, omnia uero hominibus præsto, qui exaltaui te, dabo locū certum populo meo & tranquillitatem, & edificabo domū tuam, non tu meam, id est multiplicabo & confortabo regnū familiæ tuæ. Hactenus incertis sedibus sacrificauerant, nunc dominus locū certum promittit, de quo præceperat Exo. 12. sed certe maiora sunt quæ hic promittuntur, quàm ut in illo populo completa esse dicantur, per ea quæ tunc ad tempus gerebantur, uix quasi per transfennam uidere licebat, quæ adhuc expectabantur. Confirmabatur res

gnū sub Davide, & quadragenaria pax erat sub Salomone, sed nōne longior pax fuerat sub Aioth iudice? Omnia etiam sub Salomone reciderunt, & ipse in insipientiā uersus est, ne putarentur dei promissiones in illo completæ, templū quoq; sæpe prophanatū est, euersum per Chaldæos, & tandē per Romanos, ut non manserit lapis super lapidem, ne & in ea domo uiderentur dei promissiones completæ. In carnali ergo tūc regno Davidis & Salomonis & edificio templi externi uix figura & umbra uisa est eorum quæ hic promittuntur, quæ in Christi regno completa sunt, qui ædificat Hierusalem cœlestem, templum spiritus, dei ecclesiā (in qua scd'm deum & conscientiam nostram est pax æterna) confirmatus rex æternus, filius dei cum omnibus qui in ipso sunt. Qui peccat certe non in se, quia ipse est iusticia & sapientia dei, sed in filijs, ut hæc dicuntur apertius psal. 88. sed emendatur plagis & cruce & persecutionibus, ut dilectus filius, misericordia autem dei ab eo non auferatur, siue à regno eius in æternum. Quæ cōsolatio est, quod regnum Christi, ne peccans quidem peccat aut perit, emedante patre filium, & non imputante peccatum. Postea uero Dauid accipit reuelationem de templo quoque externo, ut indicat .1. Paral. 28. & de loco templi .1. Paral. 22. id quod maxime cupiisse scribitur psal. 131. & quod Salomon filius ædificatus

rus sit templum, qui quietissimum sit regnū habiturus, quæ omnia efficiunt, ut in Paralpiomenis David plus tribuat personæ Salomonis quàm par est. Dum enim in nomen, in regiam dignitatem, in templum externū, in quietē temporalem respicit, putat ei etiam conuenire, quæ per Nathan prophetā prædicta sunt. Sic Eua in primo filio putat implendum quod dictum erat, Ipsum cõteret caput tuū. & Abrahā in Isaac quod dictum erat, In semine tuo &c. maxime cum etiam audisset, In Isaac uocabitur tibi semē. Certi erant illi sancti per fidem de dei promissis, sed nonnunqū errabant in personis, donec aliud eis reuelaretur. Putabat et hic omnis Israēl, Davidis promissiones in Salomone completas, sed cum Salomone omnibus pereuntibus, ita ut etiam post mortem eius tantū duæ tribus regno Davidis manserint, uiderunt & cognouerūt pij alia expectanda ex dei promissionibus, impij uero senserūt dei promissionē esse mendacem. &c. Non uidebat interim David, quādo ita reliqua omnia per deū conueniebāt Salomoni, quod dictum erat in prophetia Nathan, Cum cõpleti fuerint dies tuī &c. non conuenire Salomoni, qui non solum natus, sed etiam rex erat uiuente adhuc Dauide, & præterea subiunxisset Nathan post illa uerba, Ipse edificabit domum nomini meo. &c. in Paralip. Et statuum eum in domo mea & in regno meo usque

in sempiternum, hoc est in domo mea quam ædificabit, habitabit ipse rex in æternum, id quod de templo illo intelligi nequit. Longe igitur aliter sentit postea reuelatione accepta de Christo Christiq; regno, & templo uero, ut uides per totum librū psalmodū, uide psal. 71. & psal. 88. de regno Christi, non sub nomine Salomonis, sed Dauid loquitur, & de templo uero dei psal. 131. Quoniā elegit dominus Sion, Hæc requies mea, &c. & alibi, Domine quis habitabit in tabernaculo &c. Item, Quam dilecta &c. Itē, Qui habitat in adiutorio &c. & psal. 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ. &c. Vnde de ista reuelatione, qua hic rex factus est propheta, moriturus dicit. 2. Reg. 23. Spiritus domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam. Ista qui non attendūt iudæi, in suis fabulis & cogitationibus hærent, dum impleta in illo terreno regno quæ dicuntur, docere non possunt.

Quis ego. J Laudat Dauid immensam dei benignitatē ob promissionem iam factam, ut uideas quā crediderit isti promissioni. Qui enim promittit, etiā dat gratiam ut credas.

Ista lex. Per interrogationem legendum. Ista scilicet est lex hominū domine deus? homines ne ita possunt à te sublimari, qui peccatores sunt & digni supplicio?

Quid ergo. Id est, quid possem ultra hoc rogare à te? Propter uerbum.] Non meritis nostris tribuenda docet beneficia dei, sed uerbo eius, id est promissioni & bonæ uoluntati eius.

Iccirco nomen tuū celebratur, quia propter temet ipsum omnia facis, non propter merita nostra, quæ est gloria dei inter ministros peccatores.

Quæ audiuiimus. Scilicet à te facta propter nos in Aegypto, mari rubro &c. Quæ est.] Hæc dei misericordiã commendant sine operibus & meritis nostris. A facie.] Potius coram facie.

Gente & deo eius. Legendum. Deum autem intelligit uel Pharaonem uel deum alienum Aegyptiorum, quasi diceret, Liberaſti à gente & ab idololatria gentis, qua procul dubio quidam inter gentes polleebantur.

Aduerte in hoc capite, quando dicit, semen Dauidis suscitandum post mortem Dauidis regnaturum in æternum, significari clare mortem Christi & resurrectionem, nam semen Dauidis, id est hominem oportet mori, ut puta, mortali carne, iccirco in æternum regnare non poterit, nisi resuscitetur ad uitam immortalem &c.

Eadem significantur Esa.

9. & Luca. I.